

De pane

Etsi per plus viginti annos in Anglia habitavi cibis Anglicis numquam assuevi qui iure meritoque mala sunt fama: non solum Angli tantum copia minima salis utuntur, sed etiam olera tam diu coqui solent usque omnis sapor evanescit et olera pulita sunt similia. Sed imprimis panem Germanicum desideravi; panis Anglicus tam est mollis ut usu dentium non egeat. Cum pro dolor parentes mihi panem ex Germania mittere recusarent, desperans ipsa panem coquere coepi quo vita mea in Anglia valde est emendata.

Aliquot ante annos conventui mathematicorum Lutetiae interfui. Qualitatem panis Francogallici magni aestimans vix palato meo credidi cum primo die ientaculum in deversorio gustarem: panis erat pessimus, mollis et sine ullo sapore, sine dubio in taberna vili emptus. Si aliquis mihi talem panem in Francogallia emi posse dixisset ei omnino non credidissem. Irascens proximis diebus ientaculum in deversorio recusavi.

Ultimo die atriensis me rogavit num commoratione in eo deversorio fructa essem. Assensa sum: cubiculum meum valde fuisse amoenum, et me libenter in illud deversorium redituram esse nisi ientaculum tam male saperet. Cum sollicitus is atriensis rogaret cur id ientaculum mihi tantopere displicuisset, illum panem mihi panem Anglicum monuisse susurri. Exhorrescens atque incredule atriensis me aspexit: "Panem Anglicum? Itane?" Cum eum panem pessimum fuisse affirmavi atriensis se statim cum coquo locuturum esse dixit, panem generis Anglici nullo hospite offeri debere. Mihi summopere gratias egit ut ei de illa calamitate certiore fecissem: proxima occasione cum in illo deversorio versarer qualitatem panis mihi non fore deplorandam. Optime.